

Fondazione Diabete To
Museo del Diabete
Libri Antichi
, 100

DE ASSA FŒTIDA

DISSERTATIONEM

CUM ADNEXIS THESIBUS PROPUGNABAT

IN SCHOLA MEDICA TAURINENSIS ACADEMIÆ

JOANNES BOVIS

A MONCUCCO

E MARENCI PRÆFECTURA

UT

MEDICINÆ DOCTOR

RENUNCIARETUR

Anno 1809, mense sextili, die 29, hora 11 matutina.



AUGUSTÆ TAURINORUM;

Ex TYPOGRAPHIA DOMINICI PANE ET SOC.

B78

Longum prætiosiorum remediorum ordinem avarus, pharmacopola volantibus non legat schedulis, ut te amet, ut tua pharmaca cordialia buccinet, ut pomposas prætereuntibus chartulas demonstret. Pura, utilia præscribe, dissimulata crudelis artificis avaritia.

Alexandri Knips Macoppe pag. 27.

DE ASSA FOETIDA.

SPECIMEN.

Ad plantarum virtutes detegendas, cum a fortuito casu, tum et a peculiari quodam impulsu a natura animis indito nullonon tempore allicitos fuisse homines, ubi sit qui dubitet, sufficiat ipsi, præ oculis ponere, compertum, probatumque esse, singularum regionum incolas in nativo solo crescentibus vegetabilibus, vel eorumdem eductis (ubi eorumdem naturam, et agendi modum cognoverint) libenter ut plurimum non uti modo; verum et ea ad longinquas committere terras, ut sic dissitorum etiam hominum incolumitati prospiciant. Hunc omni ævo uberrimum extitisse fontem, a quo materies medica novis fuit ditata thesauris, nemo unus contendit. Istam, ut cætera sileamus, agnovisse originem, hac propagatam ratione gummi resinam, quam *assam fœtidam* dicunt, plura sunt, quæ comprobare videntur. Primum enim ceu condimentum a gulosis nonnullis hominibus recepta, inter potentiora remedia (nec immerito) dein fuit collocata, et a natali solo ad peregrinas plagas deducta. Itaque ne miretur quispiam, si de ista, quæ in quamplurimorum morborum curatione alia bene multa antecellit medica auxilia, aliquot speciminis ergo disserere in animo fuit; quod ut assequamur, exaratis prius, prout valent humeri, plantæ, e qua obtinetur, naturali historia, ejusque tum physicis, tum chemicis proprietatibus, hygienicos, ac therapeuticos ejusdem usus per-

pendemus, varia, quibus ingreditur, præparata accurate tandem persecuturi. Opus certe difficillimum totis numeris absolvere imbecilles recusant vires; at veniam promerituros haud desperantes, otio audacter valedicimus.

§. I.

Ad pentandriæ classem, et digyniæ ordinem relata est a summo Linnæo planta ex umbelliferarum familia, quæ *ferula assa fœtida* ab eodem fuit nuncupata: ex hac incisionis ope effluit gummi-resinosus succus, qui solis calore inspissatus ad nos traducitur, et *assæ fœtidæ* nomen obtinuit in officinis, dum passim ob odoris, gustusve improbitatem *stercus diaboli* ab aliis salutatur. Utrum hæc gummi resina veteribus fuerit cognita, plurimum disputarunt historiæ vegetabilium Scriptores; contendunt enim nonnulli cum Cyrenaico succo, cum sylphio, ac laser summam alere affinitatem, quin immo solo nomine distare; dum alii contrariæ favent opinioni. Hanc ut enodemus quæstionem, veterum monumenta consulere, simulque comparare fas esto.

II. Tradit celeberrimus Strabo (1) Cyrenaicum succum, ita dictum ex eo, quod prope urbem Cyrenem colligi consueverat, jam suo ævo desiderari; nonnulli enim ex Barbarorum populis qui dictam regionem invaserant plantas hunc offerentes omnino eradicarunt.

Ut summam hujusce succi penuriam commonstret Plinius (2), ipsum argenti pondere venditari, ait, affirmatque plantam hunc

(1) V. *Strabonis* geograf. lib. ult.

(2) *Plinius* in suæ historiæ naturalis 19. lib. cap. 3 a *Strabone* relatis addit Cyrenaicæ regionis incolæ, ex eo, quod armenta alere alia ratione nequirent, laserpitii plantas in pascua ipsis concessisse; sic enim avaritiæ suæ magis consulebant.

suppeditantem, si quæ forte inveniretur, Imperatoribus cito committendam; continuo sane ad NERONEM fuit traducta ea una, quæ suis temporibus fuit inventa. Parum a memoratis abludunt ea, quæ retulit THEOPHRASTUS (3) de sylphio, quem a laserpitio educi asserit, cui eosdem ac Cyrenaico succo natales assignat.

III. Quum citra veri speciem non sit collocatum, Cyrenaicum succum, et sylphium, utrumque a laserpitio (4) obtineri, ut proposita penitus enodetur quæstio, restat ut videamus, utrum habeant isti aliquam cum assa fœtida analogiam. Propositæ opinioni favere videntur jam memorati PLINIUS, THEOPHRASTUS, necnon DIOSCORIDES, aliique, qui tradunt, laserpitium præter Cyrenem, Persiam, Mediam, Soriam quoque diligere, ibidemque succum extillare minus grati quidem odoris, sed ejusdem naturæ ac Cyrenaicum, quique vera *assa fœtida* est: nec perperam id opinantur; quippe constat laudatum DIOSCORIDEM, HIPPOCRATEM, GALENUM, CELSUM, aliosque, hanc, in morborum, quibus et nunc temporis aptatur curatione, adhibuisse.

IV. At si forte dubia hæc apparent argumenta, omnem diriment dubitationem accuratæ clarissimi KEMPFERI (5) observationes. Traditam a veteribus laserpitii descriptionem cum ferula assa fœtida, quam ipsemet vidit, comparans clarissimus Auctor, sive ex iis quæ collatione instituta observavit, sive ex natalium regionum analogia, sive ex consimili succum colligendi methodo,

(3) Vid. ejusd. hist. plant. lib. III. cap. 6.

(4) Planta hæc (sic tradente *Matthiolo* pag. 472) vocatur a Græcis *maspeton*, a latinis *laserpitium*, ejusque succus *laser*, ab Arabis *silphion*, foliaque *mascasten*: en a sola nominum collatione analogia inter *laser*, ceu *Cyrenaicum succum*, et *sylphium* facile deducta?

(5) V. ejusd. Voyages dans la Perse.

sive ex convenientia characterum, quibus pollebat gummi resina, atque ex iis omnibus una consideratis deduxit, laserpitium, et ferulam assam fœtidam nulla essentiali nota differre, atque succum Cyrenaicum, laser, et sylphium veterum cum *assa fœtida* in cunctis convenire. Porro siquæ hasce inter substantias ponendæ forent differentiæ, easdem ad soli et culturæ discrimina, ad lectionis tempus, hujusque census alia, vel ut mavult Miller (6) ad partes ejusdem plantæ proprias, quibus varia (vid. in nota 4.a ad § antecedentem) assignantur nomina, esse referenda contendit; inferamus igitur, ea ratione ac ferula *assa fœtida*, sub laserpitii cognomine, veteribus erat cognita; ita et ipsos sub nomine modo succi Cyrenaici, modo laseris vel sylphii eam cognovisse gummi-resinam, quæ a nobis nunc temporis *assa fœtida* salutatur.

V. Ferula *assa fœtida*, quæ sub laserpitii nomine a Dioscoride ex Matthiolo (7) descripta videtur, planta est, quam foliis alternatis, sinuatis, obtusis vestitam dixit summus Linnæus. Hæc radice donatur magna, ponderosa, alba, et copiosa medulla referta, extus nigricante, levi, ubi in crasso vegetat solo; scabra, rugosaque, arenosa si excolat loca. Aut simplex, aut bipartita in superna sui parte rubras, horizontales fibras emittere solet *assæ fœtidæ* radix: corticem habet pulposum, sat humidum, quo facili negotio divulso alba intus apparet substantia succo admodum redundans, cui odor est alliaceus. Autumno ad finem vergente, folia ex sui summitat emittere solet, quæ adventante vere, ut plurimum decidunt ex succa; sunt autem ista membranacea, ampla, amplexicaulia, alterna, et decidua nodosa vestigia relinquunt. Quum vetusta, ac

---

(6) V. *Miller*. On the asthma; et hoc pingenth. pag. 183.

(7) V. Discorsi di *Matthiolò* nel terzo libro di *Dioscoride* pag. 470.

proxime moritura est planta, foliorum fasciculus, simplex, cylindricus, levis, cannulatus, et viridis propullulat, e quo ramuli emergentes flores umbelliferos, parvos quinquepetalos, pallide-albicantes sustinent; matura semina, complanata, ovalia, obscure rubra, striis variegata, pilosa alliaceum spirant odorem, et masticata amara, atque ingrata gustui sunt. His seminibus affinis, etsi minor, vis tribuitur.

VI. In statuendo hujusce plantæ natali loco non omnes conveniunt auctores. Si KEMPFERO assentimur, in Persia unice crescere dicemus. At cum et alii ex India orientali *assam fœtidam* trahi asserant, hinc satius esse censemus, æquiori judici adhuc litem committere. Juvabit interim addere, mox laudatum KEMPFERUM (8) in suo ad Persiam itinere hanc plantam vegetantem observasse in montanis, collinisque jugis circa urbem *Congo* dictam, in *Corasan* provinciis pone flumen *Lear*, necnon ad oram *Sinus Persici* sitis (9). In monte *Hingifer* præ cæteris copiosius crescere asserit KEMPFER; unde *Hingisel* a Persis planta appellatur. Circa Cyrenem olim vegetasse nobis tradunt veteres. At ibidem has plantas destructas fuisse ex PLINII et STRABONIS testimonio jam § II vidimus; quoad Indiam et Soriam binas laserpitio assignatas patrias, nunc temporis, Persicas et aliis sub nominibus cognitas provincias esse nemo contendit, e quibus *assam fœtidam* mitti saltem probabile est.

VII. Methodum, qua e ferulæ radicibus *assam fœtidam* eli-

---

(8) Vid. op. et loc. cit.

(9) Ex *Kempferi* relatione, regiones, quas ferula assa fœtida diligit, circumscribi facile possent inter gradum 70.mum et 75.mum longitudinis septentrionalis, et 25.mum et 30.mum latitudinis.

ciunt artifices, nos ea perpendentes, quæ docuit Kempferus, paucis perstringemus; scire igitur præstat, aprili mense ad medium vergente, quo tempore jamjam exsucca ferulæ deprehenduntur folia, incolarum turbam montana loca scandere, variasque societates inire, quæ ex quatuor aut quinque ut plurimum componuntur; bis mille plantæ iis ita in societatem junctis assignantur. Peracta partitione unaquæque societas primo labori operam navat; radix nimirum cujusvis plantæ in superiori parte ab ambiente terra liberatur, proxima inde evelluntur folia, et horizontales fibræ deterguntur: hisce peractis, modo ex avulsis foliis, modo ex vicinis herbis varii conflantur fasciculi, qui supra radicem locantur, ne istius nuditas ab æstuantis Syrii radiis offendatur. En primum, quem ita vocant, laborem, quemque tribus plerumque diebus absolvunt proprias post hoc petituri domunculas. Verum, vix transacto mense, ad labores unusquisque redux falce, vel amplo cultro, ferrea spatula, vasculo vel cratere et corbe collo appensa munitur. Amotis tunc fasciculis ac detecta radice, hanc in sui summitate transverso vulnere feriunt: fluit tunc continuo, et abunde quidem ex peramplo vulnere lactescens succus, quem post biduum colligunt, caute prius e facto vulnere foliorum fasciculis superimpositis, ne cito nimium a sole densetur. Spatula collectum succum in cratere conjectum, supra folia dein expansum soli exponunt, ut siccetur. Vix laudabilem gummi-resinam sufficit prior hæc operatio; meliorem vero obtinent, quum, nova facta in radice incisione, post duos dies properantes novum eliciunt succum; ac demum optimæ est qualitatis illa, quam tertio, quartove labore assequuntur. Sic enim excisionibus, et collectionibus, quousque, omnem quam retinebat succum, obtulit, iteratis, *assæ fœtidæ* viginti circiter libras unusquisque sub fine laboris sibi comparatas reperit.

VIII. Duplex *assæ fœtidæ* genus ad officinas nostras a Persis transmitti tradit Bonius; alterum, quod sponte ex incisa radice stillat, ac sole inspissatum optimæ est notæ: expressione alterum ex evulsis foliis, ac radicibus elicitum, plerisque ligneis frustulis, siccatis foliis, necnon hujus census sordibus inquinatum, priori quoad vim longe cedit. Utraque porro ad nos missa species frusta exhibet variæ magnitudinis, coloris flaventis, rubentis, vel cærulescentis, compacta, maculis lucidis albidis interspersa. Odor ipsi est gravis, alliaceo similis, maleolens, nares facile, et vivide percellens, itaut, dum sacculi ipsam excipientes navibus deferuntur, cacumine mali suspendere cogantur nautæ, ne adstantes infestet vicinasque merces imbuat fœtor. Sapor amarus est, acris, ac pungens, a quo lingua vellicatur, Europæis plerumque ingratus.

IX. Substantia hæc, quo tempore summo venditabatur prætio, sagapeno, et fabarum farina adulterari solebat, uti fidem faciunt veteres (10); at nec nunc temporis desunt vafri, et extranea corpora, quæ huic succo, dum adhuc molle est, commiscent, de ejusdem mangonio nos certiores reddunt; quamobrem haud inutile duximus, præcipuos characteres jam dictis addere, queis possit adulteratio, si qua est, deludi, et selectior *assa fœtida* deligi. Porro ea, quæ ex massulis duris, compactis, coalescentibus, aut ex lacrymis lucidis, pallide rubentibus, et maculis albis variegatis conflatur, quæ gravissimum alliaceum odorem redolet, dentibus subacta tenax experitur, sordibusque caret, ea optima est censenda. Præter mangonium, quod et color, et odor, saporque patefaciunt, cavendum insuper, ne selecta frusta ex iis sint,

---

(10) Vid. *Dioscorid.* et *Matthiol.* loc. cit.

quæ ad primam collectionem spectant, quæque, quum ex adhuc immaturo succo fiant, pallidiorem colorem, odoremque minus ferientem præseferunt.

X. Hujusce substantiæ chemica analysis, Clar. Trommsdorf commonstravit, gummei principii proportionem, qua *assa fœtida* donatur, longe superare eam, qua occurrit principium resinosum. Compertum insuper est, *assam fœtidam* distillationi commissam, sive cum aqua, sive cum alkoole fuerit eadem soluta, ignis vi elicere ex ipsa penetrantissimum, fœtidissimumque liquorem.

XI. Verum, missis, quæ physicas, chemicasque *assæ fœtidæ* dotes respiciunt, jam propius ad ejusdem agendi modum vestigandum descendamus; quod ut ordine persolvamus, et effectus, quos vix assumpta, vel externe adposita prodit, et morbos, quibus et olim Medicinæ Proceres, et nuperrime cordatiores Clinici opitulari felici experientia viderunt, breviter ad trutinam revocabimus. Quisque *assam fœtidam* propinaturus vix ori ipsam appropinquat; hujus nares (veluti rerum ingerendarum judices a natura dati) illico percelluntur a vivido alliaceo odore admodum penetrante, ut hominem lypothimia correptum revocare valeat; linguam eadem resina attacta amarore quodam afficit, exstimulat, vellicat, pungit, simulque ardoris sensum, qualem aromata inducunt, per aliquod temporis spatium in ipsa relinquit; sapor quippe istiusmodi admodum nonnullis, præsertim delicatioribus, infensus est, ut eam facile respuant. Hinc cum nebulis obvoluta, vel pillularum forma exhibita libentius deglutitur, et quamvis sæpe teterrimi odoris ructus procuret, tamen retenta caloris sensum in stomacho prodit, vires illico erigit, cordis et arteriarum motus intendit, nervosumque systhe-

ma (11) adeo attingit, ut, si quæ sunt in voluntariis motibus aberrationes sedare, sudorem ipsum concitare, et si Cl. Garzias credimus ad Venerem ipsam exstimulare valeat. Hi autem effectus suntne permanentes, an cito disparent? *Assæ fœtidæ* refocillans vis, a qua cordis, et vasorum motus concitatur; ardoris sensus, et calor inde enatus de excitanti ejusdem vi certiores nos reddunt. Quod si addamus odoris vehementiam, celeritatem (12) summam, qua in nervos agit, citos, parum tamen durabiles effectus, quos gignit, ultro fatebimur, hanc substantiam ex iis stimulis esse, queis proprium est, diffusibile excitamentum (13) procreare.

XII. Internos effectus jam vidimus, externos mox persequemur. Emplastri forma, vel frictionis ope externo corporis ambitui adposita *assa fœtida* cutem evidenter stimulare certum est, ejusque usum in tumorum et scrophularum resolutione cienda a summo Dioscoride (14) propositum, ad dentium cariem emendandam,

---

(11) Systhematis nervosi nomine cerebrum, cerebellum, cunctasque eorum productiones laxiori sensu cum Cl. *Tommasini* nos hic intelligimus. Vid. ejusd. *Lezioni critiche di fisiologia e patologia*, tom. II.

(12) Ad assæ-fœtidæ odoris diffusibilitatem demonstrandam haud futile credimus referre, illustrem *Zimmermann* observasse delicatulas nonnullas mulierculas, quas peracutus moschi odor in lypothimiam congesserat, revocatas a tetro hujusce fœtore fuisse. Vid. ejusdem *Traité de l'expérience en médecine*, tom. III, pag. 264.

(13) Qui antea vocabantur stimuli diffusibiles, cum Clar. *Tommasini* eos diffusibile excitamentum producentes exactiori vocabulo dicimus. V. ejusd. opus cit. tom. III. lez. 26.

(14) Vid. *Dioscorid.* lib. III. cap. 88 de laserpitio.

necnon in ischiadis nervosæ, aliorumque, de quibus suo loco, malorum curatione, id comprobant. Quapropter ex istis apparet, externam ejus agendi rationem cum interna convenire.

XIII. Præter memorata, stimulantem *assœ fœtidœ* vim luculentius evincunt effectus, quos præstat eadem sive condimenti, aut ferculi, aut odoramenti ergo in usum trahatur, sive therapeutico usui aptetur: et primo quidem si hygienicos spectemus ejusdem usus, pro certo nobis constabit ex omnium ferme veterum scriptorum testimonio, eam olim apud Persas necnon apud ipsos Romanos tanto in pretio velut condimentum habitam, ut solis regalibus mensis apponeretur; ac Cesar hanc gummi-resinam in ærario publico servari jusserit. Condimenti adinstar vel sola, vel sali juncta tunc, et nunc temporis adhuc apud Persas in deliciis est, quippequæ levi acritate, qua pollet, gratoque amarore suo papillas nerveas per linguam dispositas vellicare, atque appetitum exacuere valeat; sunt et alii, qui craterum, vel lebetum oras hac solent perfricare substantia, ut recepta tum alimenta, tum liquores ipsammet redoleant. Nec reticendum est, nonnullos apud nos, hosque gulosos homines adesse, quibus *assœ fœtidœ* et odor, et gustus jucundi sint; et si momento temporis perpendamus Maometti asseclas opium ingurgitare, quod, ob tetrum odorem, et nauseabundum gustum, admodum a nostris respuitur, dum vinum illis invisum plenis buccis propinare nobis arridet; quin de innumeris aliis gustuum discriminibus verba proferamus, vix obstupescere erit; imo vulgari utentes adagio concludemus: *De gustibus non esse disputandum.* Ad condimenta immerito non fuisse relatam assam fœtidam, plura sunt, quæ demonstrant; nam calefacienti, aromatico principio, quo redundat, digestioni posse opitulari vix dubitamus, quod certe præcipue præstare debent

condimenta. Ferulæ assæ fœtidæ folia, testante DIOSCORIDE (15) acetariis adduntur, et juxta THEOPHRASTUM (16) optimum pabulum armentis offerunt, unde pinguia crescant, ad opus purgentur, eorumque carnes suaviter sapiant.

XIV. Sed jam transeamus ad præstantia perpendenda subsidia, quæ ex *assa fœtida* petit medicina, revocatis prius ad trutinam indole et intima natura morborum quibus ipsa auxiliatur. Quod ut aliquo servato ordine persequamur, de iis primo, qui febrem sociam habent disseremus, ad apyreticos, inter quos neuroses sunt, dein transituri, ut additis inde nonnullis, quæ virtutem ejus anthelminticam respiciunt, ad externos ejusdem usus tandem descendamus.

XV. Inter febriles morbos, queis *assa fœtida* opitulari potest, primæ veniunt considerandæ febres continuæ, vel remittentes, tum gastricæ, tum nervosæ, quemadmodum sunt *synochus*, *typhus* CULLENII *lenta nervosa*, *gastrica*, *biliosa* aliorum: indicatur autem substantia hæc tum cum præ cæteris nervosa debilitas, viriumque prostratio jam summa est, atque verminosa symptomata manifesta apparent; hinc, quoties mydriasis, oris fœtens halitus, narium titillatio, gastrica pathemata, ac dira tormina vermium præsentiam declarant una cum systhematis nervei atonia, *assam fœtidam* probant cordatiores Clinici; anthelmintica enim, et stimulante egregia sua vi dum debilitati (17) succurrit,

---

(15) Vid. op. et loc. jam cit.

(16) V. op. jam cit.

(17) Clariss. *Pringle* utilem exploravit in febribus nervosis, quas malignas ipse vocat, eo tempore exhibitam, quo jam fere devicto morbo residuæ debilitati est valide occurrendum. V. ejusd. op. cuj. tit. *Traité des maladies des Armées*, tom. II. pag. 104. Idem auctor insuper de antiseptica hujusce

vermes enecat, et torminum admodum excruciantium caussam tollit. Nec inutilem opem fert hoc remedium in immani flatuum collectione, quam *meteorismum* vocant, sat infaustum dictorum morborum pathema. Carminantem quippe, et discutientem vim cæteris adjungit; quin immo sub gastricarum febrium declinatione ad ventriculum roborandum (18), dummodo permanentibus aliis stimulis adjungatur, haud spernendam offert opem.

XVI. Memorata flatus discutiendi vis *assæ fœtidæ* adscripta, eam aptat in colica flatulenta (19), hydro-tympanitide (20); flatulentis viscerum infarctubus etc. etc. quibus in morbis vel ore assumpta, vel clysteribus excepta et per anum injecta, stimulo suo intestina, vicinasque partem refocillat, roborat, ac aptiora reddit, ut distentioni flatulentæ resistentes, contentum aërem valeant dispellere.

Deobstruenti fortasse huic vi innitebatur usus hujusce substantiæ in ictero, quem et commendabat DIOSCORIDES (21), et nuper laudavit Celeb. QUARINIUS (22); Quamobrem Cl. MILLERUS (23) ipsam ad alvum leniter laxandam utilem ducit in senibus, queis obstructiones abdominales, et alvi segnities familiares sunt.

---

substantiæ virtute est evicta in decimo suo de antisepticis periculo. Vid. *Traité des substances septiques et antiseptiques par M.r* Pringle, *joint au deuxième volume de l'ouvrage déjà cité pag.* 181.

(18) Vid. *Murray* apparat. medicam. tom. I. pag. 297.

(19) Vid. Encyclopédie universelle art. *assa fœtida* pag. 769. Vid. Clar. *Quarinii* tom. II. de inflammationibus pag. 93, ubi gummi-ferulæ usum in colica flatulenta proponit.

(20) Vid. *Murray* op. et loc. cit.

(21) Vid. op. et loc. cit.

(22) Vid. *Josephi Quarin.* animadvers. in morbos chronicos pag. 123.

(23) Vid. ejusd. op. cit.

XVII. Non ultimum tenet locum diaphoretica hujus gummi ferulaceæ virtus, itaut incitantium diapnoicorum classem possit intrare. Hoc igitur sub aspectu datur quandoque in morbis exanthematicis, quos nervosa, vel gastrica febris stipat, iisque malignis (24) a veteribus appellatis. Hinc in variolis confluentibus, morbillis, peticulis, miliaribus etc., ubi exanthemata, quæ prodire deberent, ob solidorum atoniam nequeunt ad cutem expelli, vel jam apparentia iterum retrovertuntur, *assam fœtidam* utilem legimus, idque eo luculentius, quum hac gummi-resina ad pectus metastasim (25) præcaveatur; observatione quippe constat, eam pulmones prædiligere, atque expectorationi quammaxime famulari.

XVIII. Modo memoratam specificam, ita dixerim, *assæ fœtidæ* in pulmones agendi rationem, a summis Medicinæ Proceribus Dioscoride, Celso (26) aliisque (27) haud neglectam, qui eam in tussi, laryngis, et vocis vitiis opitulari suadebant, longe comprobat ejusdem nuper comperta a jam pluries laudato Miller

---

(24) Vid. Encycloped. univers. d'histoire naturelle par M.r de *Baumare* art. *assa fœtida*.

(25) Etsi ex iis non simus, qui metastases revera fieri admittunt: negare tamen haud possumus ob immanem consensum inter ejusdem naturæ membranis fieri posse, ut imminuta ad exteriora exanthematici humoris tum secretio, tum irritatio, hæc augeatur in pulmonum membrana, ita ut excretus nimia copia humor vitam minitari valeat. Hæc est nuperorum Pathologorum sat firma opinio.

(26) V. *Dioscorid.* op. jam cit.

(27) Vid. *Quarin.* animadversion. in morbos chronicos jam cit. cap. III. pag. 24.

(28), nec non ab Cl. Quarinio (29) utilitas in asthmate spasmodico tum acuto, tum chronico infantum, in quem finem non per os tantum, sed in clysteribus dari commonent (30).

XIX. Huic morbo summopere affinis alius ex spasmodicorum agmine est tussis convulsiva, *coqueluche* a Gallis dicta, cui admodum infantibus fatali *assam fœtidam* opem suam afferre ejusdem Milleri est observatio (31); in hunc finem eam tamquam specificum commendatam legimus apud Rosen de Rosenstein (32); dum autem opportunam utendi methodum utrique tradunt, eam prohibendam volunt, tum cum febris hectica, hæmorrhagia, aut phtiseos primordia, heu nimis frequenter! inveterati hujusce morbi soboles huic se se adsociant; fortasse enim eximium hoc stimulans nimiam tunc irritationem posset inducere, ac sub recurrentibus pulmonum phlogosibus morbum exacerbare.

XX. Succum Cyrenaicum, seu *assam fœtidam* contra abortum intus, extusve adhibuisse summum Medicinæ Parentem Hippocra-

---

(28) Vid. *Miller* op. et loco cit.

(29) Clariss. *Quarin.* assam fœtidam utilem vidit in paroxysmo ipso asthmatis convulsivi. Vid. op. modo cit. pag. 56.

(30) Reticenda hic non est historia a memorato *Miller* relata, quam hic transcribere lubet: " infans octodecim menses natus asthmate spasmodico
„ acuto laborabat; mixtura ex *assa fœtida* drachm. duas spirit. minder.
„ dracm. una aq. puleg. unc. tres cochleatim sumebat; emollientes clysteres,
„ quibus 40 horarum spatio unc. una *assæ fœtidæ* fuerat adjuncta, injicie-
„ bantur, convaluit; tunc temporis vero ad recursum præcavendum, et ad
„ pulmones roborandos cortex peruvianus ad dies propinatus est ". Vid. *Miller* op. cit.

(31) Vid. op. cit. pag. 132.

(32) Vid. ejusdem *Malattie de' fanciulli* vers. italic. a *Joanne Baptista Palletta* habita, pag. 219.

TEM testantur Artis monumenta (33), dum sat Celebrandus ETMULLER (34) aliique (35) quamplurimi ad secundinas pellendas, nec non menses ciendos eam commendarunt; at sciscitabitur quispiam, cur morbis primo intuitu contrariis aptetur idem remedium: verum quæstionem hanc facili negotio dirimi posse credimus, si perpendamus, tum abortum fieri, tum secundinas, lochia, et menstruas evacuationes retineri posse, eadem vigente causa, hoc est ab atonia uteri, quam certe solis stimulis corrigere fas est; unde concludemus, non male a Celeberrimis hisce Viris in modo dictis morbis gummi-resinæ laudes celebratas fuisse.

XXI. Ast ad convulsivos, heu nimium frequentes! morbos jam propius accedamus. Hos inter primas tenet cæteris gravior, in viris perrara (36), in sequiori sexu frequentissima hysteria, quæ ab *assa fœtida* potiorem petit medicinam. Millenis hæc larvatis sub aspectibus se se offerens, eamdem causam proximam in systhematis nervosi debilitate locatam ferme semper agnoscens, ab excitantibus, quorum actio promptior est, auxilium poscit. Hinc sive strangulationem minitetur, sive suffocationem, syncopem portendat, vel colicos dolores, flatulentas distentiones gignat, aut hystericum clavum capiti defigat, vel brachium, manum, pedem con-

---

(33) Vid. *Murray* appar. med. loc. cit.

(34) *Etmüller* opera omnia tom. III. pag. 134.

(35) Vid. Encycloped. universel. l. cit.

(36) Postquam luce clarius probatum fuit, hysteriam non in solo utero causam proximam agnoscere, sed, omnibus bene perpensis, in nervosa debilitate ut plurimum collocari; postquam homines visi sunt ipsa affecti, non dubitarunt Medici, eam utrique sexui familiarem, nervosam pronunciare, atque ab hypochondriasi distinguere.

torqueat, aliove modo affligat, aut demum ululatus horrendos, vel aphoniam, immodicum risum, convulsiones spasticas, vel clonicas, innumeraque alia pathemata (37) in scenam adducat, quacumque uno verbo sub circumstantia ab hoc remedio lenitur. Ast hysteria est ne morbus perpetue excrucians, an per intervalla remittit? Et si intermittit, quo tempore *assam fœtidam* expostulat?

XXII. Nemo unus contendit, hystericam affectionem ad determinata fere intervalla redire itaut paroxysmalis commode dici possit, at æque verum est, unam inter, et alteram accessionem, morbosam dispositionem, necnon quædam pathemata persistere, ut sub nimis adaucto ejusdem imperio veluti constanter vigeat, quod plane demonstrat, eamdem causam in ægrotante corpore retentam iri, et tantum hinc et inde exaltari, quin hujusce periodicitatis æquam reddere possimus rationem. Si ergo remanens eadem causa potest novis accessibus ansam dare, si ad asthenicarum familiam pertinet, quocumque morbi tempore remedium (38) apponere poterimus: ea tamen methodo, et ratione servata, ut et dosis, et propinandi modus, morbi perniciei gradui, vi probe respondeant; tanta enim est hujusce potentia, ut paroxysmum hystericum devincere, et somnum concedere valeat (39), et solo olfactu vel suffumigio sindo-

---

(37) Vide hujus morbi descriptionem, et curam, quam tradit illustris *Sydenham* in dissertatione epistolari ad *Guglielmum Cole* M. D. *Thomæ Sydenhami* oper. omnia pag. mihi 129 et seq. Vide etiam *Boheraave* de morbis nervos pag. 611.

(38) Vid. *Hoffmann.* Med. Systhem. part. tert. tom. 4. cap. 5. pag. 80 de malo histerico. Vide quoque *Ettmuller* op. et loc. cit.

(39) Vid. *Whyth.* ner diss. pag. 370.

nis, quo involuta fuit, hystericam fœminam (40) excitarit. Quid dicam cum vel in substantia, vel ejus tinctura sub ipso paroxysmo propinare sinunt pathemata, et quum, denegata deglutitione, clysterum ope in corpus intruditur?

XXIII. Cum hysteria, etsi cæteroquin essentialiter discriminetur, magnam tamen habet affinitatem hypochondriasis (41), dirus scilicet, et difficile devincendus morbus. Homines ex iis, qui vitam sedentariam degentes, chartis impallescere solent, vel animi pathematibus divexantur, vigente ut plurimum virili ætate afficiens; colica flatulenta, graveolentes ructus, dispepsia pertinax, borborygmata frequentia, necnon alvi segnities, functionum animalium sæpissima depravatio sunt hujusce morbi pathemata, queis a nervosa hypposthenia sustentis mox commentatum remedium peroptime occurrit. Juvabit hinc tum intus exhibitum, tum in clysteribus, emplastris, suffumigiis, magisque congruo modo hocce præscriptum uti, præsertim quum vigens paroxysmus (42) erit debellandus: extra accessus indicari nemo insuper negabit; Tonum quippe digestivis organis tam pertinaciter labefactatis impertiendo, ciborum auget desiderium, eorum assimilationi favet, totque evitat ærumnarum catervam hypochondriacos persæpe torquentem.

---

(40) Vid. *Foresii* observ. lib. 28. observ. 32.

(41) Superius (n. 36) jam demonstravimus differentias, quæ extant inter hystericum, et hyppocondriacum malum, quidquid contra scripserint summus cæteroquin *Sydenhamius*, qui hunc in viris idem esse ac in fœminis illud autumavit. Vid. *Thomæ Sydenham* dissert. epist. loc. cit.

(42) Fere inutile duximus de periodica hyppocondriasis natura mentionem facere, dum ipsam hysterico affectui similem declaravimus.

XXIV. En ad eum sævitia, et pervicacia vix æmulum habentem morbum obiter considerandum, quem *epilepsiam*, *morbum sacrum*, *caducum etc.* passim appellarunt, propositus ordo nos ducit. Ad spasmos a Cullenio relata epilepsia non male a summo Burserio describitur sensuum omnium tam internorum, quam externorum subitanea interceptio cum violenta, alternaque musculorum prope omnium voluntati famulantium contractione, et relaxatione plus minus perdurans, donec tandem homo ita affectus ad pristinam integritatem, et quietem redeat quid ei contigerit plane ignarus, et nescius (43). De hujus morbi, utcumque ferox sit, caussa proxima nondum satis constat; et quidquid de ea sentiant Brownianæ doctrinæ asseclæ, dubitari haud potest, eam, quæ in robusto juvene, sanguineo temperamento prædito viget, probabilius hypersthenicam præseferre naturam, quæ contra debiles, summeque irritabiles homines, aut hystericas fœminas corripit, vel jam ad annos sæpe recurrit, quæ extra *paroxysmum* debilitatem digestivi systhematis, functiones animales perturbatas relinquit, ad provinciam hypposthenicam referendam dixeris. Sed quodnam subsidium huic morbo affert *assa fœtida*?

XXV. Tamquam specificum, ob efficacem suam vim, olim ista prædicabatur, sed ex modo demonstrata diathesis concomitantis ambiguitate, omnes de specificis *larvæ* jam disparent. Quapropter si rem contrahere velimus in asthenica epilepsia solummodo hoc remedium indicari dicemus, quod comprobatur a Cl. Quarinio eam in epilepsia hystericorum suadente (44). Ventriculo

(43) Vide eximii hujus Auctoris institut. medic. practicar. tom. IV. cap. 8. de nervorum distentione, et rigore edit. 4. Ven. vol. VI. pag. 20.

(44) Vid. op. cit. cap. II. pag. 14.

autem ingurgitari tunc potest sub prodromorum pathematum præsentia, vel jam vigente paroxysmo naribus admoveri, et utilius etiam, quum vix deglutiendi locus subest, per clysteres in anum immitti; de ejus quippe utilitate nobis sat testantur Burserii (45), Langii (46), aliorumque observata, a quo factum est, ut pleraque tum electuaria, tum pulveres antiepilepticas infra recensenda ingrediatur.

XXVI. Ridenda primo intuitu, suis tamen et gravibus quidem non carens ærumnis est choræa sancti Viti, seu scelotyrbe Sauvagesii; spasticis affectibus non inepte adscriptus morbus, utriusque sexus impuberes adoritur, eoque laborantes manum, et pedem ejusdem lateris in eodem situ horæ momento nequeunt continere, histrionum gesticulationes in suis motibus æmulantes, pedem, fatuorum adinstar ut plurimum trahunt. Huic morbo, cujus fatales soboles *epilepsia*, *paralysis*, *apoplexia* sunt, peroptime medetur *assa fœtida*; de ejus quippe utilitate confisus est summus Burserius (47). Eam ostendit quinque ægrotantium historias enarrans P. S. Vauters (48); nec ab hisce dissentire videtur Celeberr. Sydenham (49), qui antiepilepticis præparatis a Langio propositis in scelotyrbe curanda libenter arridet.

XXVII. Neurosium, de quibus dicere proposuimus, agmen claudit infestum paralysis. Quos inordinatos voluntariorum musculorum motus, in superius memoratis morbis, nervosa fovebat de-

---

(45) Vid. op. cit. vol. VI. pag. 62.

(46) Vid *Langii* Miscell. verit. medic. pag. 60.

(47) Vid. ejusdem op. cit. vol. VI. pag. 47.

(48) Vid. *Journal de médecine août* 1681.

(49) Vid. ejusdem processus integri de cur. morb. pag. mihi 213.

bilitas, in hocce, de cujus curatione pauca addere placet, omnino delet; ubi enim vel *perfecta* sit, si hæc affectio, sensus, motusque absint, vel *spuria*, quum, uno ex istis deficiente, remanet alter (50); utroque in casu, tum ob penetrantem odorem, tum ob excitantissimam suam vim aptari gummi ferulaceam substantiam, de qua agimus, consentiunt plerique inter Clinicos (51), adhibentque et intus aliis remediis junctam, et extus linimenti in modum, quo paralytica perfricantur membra, nec clysteribus eam addere dissentiunt.

XXVIII. Infestorum viventium intra viventia improbam progeniem enecandi vim tradere postremo hocce loco cum reservaverim, non inopportunum duco animadvertere, tres vermium species alimentari tubo stabulari, quarum priori *ascaridum*, *lumbricorum* alteri, tæniarum nomen ultimæ inditum est. Rarius inter coli cellulas, frequenter ad pylorum, et rectum intestinum januariarum adinstar gregatim nidulantes ascarides ibidem intolerabili pruritu excruciant. Tenuium incolæ lumbricoides, ileon præ aliis diligunt, cruciatibus hic, et illic divexantes. Cæteris funestior tænia, vermis solitarius passim dicta, indeterminatam habet mensuram, et modo integram, modo aliquem intestinorum tractum tenens, infaustorum pathematum, et miserabundi morbi crudelis est parens. Cunctis hisce animantibus alliaceum *assæ fœtidæ* halitum, gustumque lethales esse affirmant celeberrimi in arte viri; verum quibusnam in casubus, et quanam methodo administratur?

---

(50) Vide hujus morbi descriptionem in *Burserii* instit. Med. practic. jam cit. vol. V. pag. 86 et seq.

(51) Vid Encycloped. universel. loc. cit. Vide etiam *Boerhaave* de morbis nervorum loc. cit.

XXIX. Præter generalia § XVI jam memorata pathemata, quæ de vermium præsentia fidem faciunt, alia sunt cuique eorum speciei propria. Hinc ascarides declarant ad pylorum, colon, vel anum molesta titillatio. Tenesmus et ventris punctorii, lacerantes dolores, præsertim circa umbilicum etc., lumbricorum probabiliora sunt signa: dum vermis solitarii existentiam immanes jejuno sthomaco vomituritiones, habitus cachecticus, dira tormina, interni motus et ostendunt. En igitur casus, in quibus jam laudatum remedium indicatur. Datur autem vel per se, vel aliis remediis adjunctum; hinc cum myrrha, croco, mercurio dulci adhibuit Fridericus Hoffmannus (52), jalappæ radici addidit Volfius (53); nec reticendæ sunt ab eximio hygienis, et medicinæ forensis professore nostro Buniva circa hoc celebratæ laudes in aurea sua dissertatione ad cooptationis gradum (54). Inter palmaria anthelmintica idem collocavit summus Valerianus Brera (55). Nec longe distavit illustris Rosen Rosenstein (56), diaboli stercus ad cunctos vermes, speciatim vero ad tæniam commendans. Dum autem est propinandum, pillulis, aut bolis magis arrident omnes fere clinici; quod si per os intrudi nequeat clysteres injecti, mantecæ, emplastra ad opus suppleant.

---

(52) Vid. op. cit. pag. 107 e 543.

(53) Vid. in act. naturæ curios vol. 9. pag. 41.

(54) Vid. dissert. inauguralis *Michaelis Buniva*, ut in amplissimum Medicorum collegium cooptaretur, pag. 286 § 39.

(55) Vid. ejusdem Lezioni medico-pratiche *sopra i principali vermi del corpo umano, e malattie verminose.* Part. II. Vermifugi vegetali.

(56) Formula, qua utebatur hic auctor est sequens. ℞. Extract. tanaceti, *assæ fœtidæ*, semin. santon. ana gr. xxxvi., vitriol. Martis gr. xxii. mellis optim. q. s. fiant pillul. pond. gr. vi. fol. arg. obvol. cap. sing. dieb. n. 10. Vid. op. cit. pag. 292.

XXX. Circa internum *assæ fœtidæ* usum exhaustis modo dicendi fontibus, haud incongrue externos enucleandos suscipimus. Constat ad veneficos serpentum, et scorpionum morsus sanandos, in ischiade nervosa, ad gangrænam sistendam, callos emolliendos, ad aliosque bene multos morbos fugandos eam adhibuisse DIOSCORIDEM (57). Ast heu! A nostris declinet schedis tanta veluti miraculosarum virtutum farrago, quas omnibus fere remediis a vetustis Scriptoribus tributas nequit largiri in hoc avara experientia. Sufficiat hinc addere, in dentium carie ob suam acritatem sat merito commendari, necnon ad tumores resolvendos (ad quos usus jam quoque sacraverant medicinæ proceres) etiam in præsentiarum summo cum emolumento aptari, ejusque majorem efficaciam in glandularum indurationibus, ac strumis, teste celeberrimo PLENK (58), præsertim inclaruisse.

XXXI. Varii medelam hanc exhibendi modi sparsim jam supra significati fuerunt. Restat ut generalia quædam circa doses addamus, quamque in præscriptione anteponendam methodum credamus, paucis concludemus verbis. Dosium discrimina, quæ ætas, sexus, temperamentum, morbi indoles ac gradus portendunt, nemo negaverit: in genere tamen statuere licet, *assam fœtidam* a granis aliquot ad drachm. ss., aut scrup. unum cyathim posse assumi, et duplo majori dosi clysteribus receptam injici. Cæterarum gummi-resinarum adinstar, si solvenda erit, vel aliis substantiis exacte commiscenda, ovi vitello, aut mucilagine aliqua subigenda est; hæc enim sola prostat apud auctores, et pharmacopolas methodus. Hinc cur cum ovo

---

(57) Vid. op. cit.

(58) V. ejusd. Chir. mat. pag. 258. Vid. etiam Encycloped. univers. loco cit.

sorbili ipsam propinet in asthmate convulsivo GEOFFROY (59). Gustus vero, et odoris insuavitas jam alias laudatam sub boli, aut pillularum forma dandi methodum, sic sentientibus cordiatioribus practicis, suadet. Optime tunc pulveratam extracto, syrupo, aut conserva aliqua ad opus subigere possumus.

XXXII. Verum *assæ fœtidæ* cum purgantibus connubium estne laudandum? Ejus stimulantem vim jam §.is X et XI demonstratam hucusque relatæ morborum curationes fusius suaserunt. Purgantium contra actionem debilitantem esse (60), denegandum non est. Cur igitur felici exitu signari hocce connubium admittamus, si unum destruit, quidquid alterum induxerat utilitatis? Nihilo tamen secius hasce mixtiones laudarunt LANGIUS, ROSEN, HOFFMANNUS, VOLFIUS, aliique celeberrimi in arte viri. Impar quum sit ad hæc explananda dubia theoria, experientiam a tot viris in medium adductam repugnare non audens concedam fortasse utiliter (61) apud istos *assam fœtidam* cum purgantibus junctam fuisse propinatam: dissentiam vero in tanta ævi nostri circa remediorum actionem luce, pharmaceutica hæc monstra præscribenda esse.

---

(59) V. ejusd. mater. med. art. *assa fœtida.*

(60) Hic forsan quis objectabit remedia omnia, si *Brovvniano* utimur sermone agere stimulando. At nonne ab hocce recedunt principio Rasorianæ de controstimulis theorica dogmata? Quum tamen nostrum haud sit tantas exsolvere lites, id solummodo addemus: si purgantia directe non debilitant, indirecte saltem quum nempe evacuationem aliquam provocant excitamentum infringunt.

(61) In vermium curatione, si hujusce mixturæ laudandæ locus est, eam certe reservabimus; dum enectos enim ab hoc eximio remedio vermes illud evacuare potest: Ast *assæ fœtidæ* usum nonne melius sejunctim excipient purgantia?

XXXIII. Longe faustiorem nexum inibit *assa fœtida* cum incitantibus remediis, quippequæ agendi vi simul conveniunt. Quapropter non solum cum iis, queis diffusibilitas propria est, quorumque actionem valet adaugere, sed etiam et quidem utilius permanentibus adjungitur; postrema nempe ipsius actione validiori reddita, effectus perennant. Nec ista connubia laudantes a clinicorum placitis decedimus; vidimus enim §.is XIX etc. XX Celeb. Miller, et Quarinium tum spiritui Mindereri (acetite ammoniacali) tum galbano, valerianæ radici, sagapeno junctam suasisse, et Langium, Burserium, aliosque cum spiritu volatili cornu cervi, castoreo, succino, ipsoque Peruviano cortici eam adhibuisse, quemadmodum ex infra memorandis præparatis clarius apparebit.

XXXIV. Specimini finem impondituri, quæ ex *assa fœtida* in officinis prostant præparata, aut composita, breviter enucleabimus. Ad præparata pertinet tinctura *assæ fœtidæ*, *tinctura fœtida* passim dicta. Conflatur hæc ex uncia una hujusce gummi resinæ, et unciis sex spiritus vini rectificati. Simul mixta digeruntur leni calore per dies sex, dein colantur (62). Sic confecta tinctura coloris est lutei pellucidi, odor ipsi est penetrans alliaceus, sapor parum gratus. Proportio *assæ fœtidæ* ad alkool est :: 15 : 120 (63). Ejus dosis est a decem guttis ad scrupulum unum, vel etiam ad drachmam semissem aromatico, vel cardiaco aliquo menstruo soluta, necnon ejusdem naturæ miscelis addita. Præter hunc usum, qui proprius ipsi videtur, est in clysteribus. Insuper ex eo quod castorei Russiensis tincturæ succedaneam, minoris-

---

(62) Vid. Pharmacop. Londin. edit. 1. ital. pag. 97.

(63) V. Murray op. et loc. cit.

que impensæ præcipue apud pauperes censeat Cl. Marabelli (64) plerisque sub circumstantiis illi præferendam credimus, præsertim cum odore suo vivaci possit epilepticos, hystericas etc. paroxysmo præsente, melius promptiusque succurrere.

XXXV. Innumera prorsus extant apud Auctores optima quandoque, quandoque absurda composita, quæ palmare hocce remedium ingreditur. Ista autem vel pro re nata parantur, et mixturæ audiunt, vel jam parata in officinis servantur, et nunc trochisci, nunc pillulæ etc. dicuntur. Ad mixturas pertinet ea, quam *ad epilepsiam* scripsit Langius (65), quæque constat ex *assæ fœtidæ* scrupulo in spiritus cornus cervi unc. una soluto ante accessum epilepticum ad gutt. XXX. sumenda. Ejusdem auctoris *essentiam anodynam* intrat in variolis usurpatam, quæ castorei cum *assæ fœtidæ* connubium admittit (66). Veniunt deinde pillulæ gummosæ pharmacopeæ Edimburgensis (67), et Londinensis (68, trochisci de mirrha (69). Nec reticendum est emplastrum anti-hystericum jam dictæ pharmacopeæ Edimburgensis (70), quod opportune adponi

---

(64) Vid. apparatus medicam. ejusdem pag. 230.

(65) V. *Burserii* instit. jam cit. vol. VI. pag. 66.

(66) Vid. *Etmuller* opera omnia tom. III. pag. 134.

(67) Vid. *Pharmacop.* Edimburg. pag. 96 ubi sic describuntur. ℞. Galban. drach. sex, myrrh. drachm. quinque, *assæ fœtidæ* unc. ss., castorei drach. tres, olei succin. drachm. ss. elixir proprietatis q. s. fiat massa pillul.


(68) Vid. *Pharmacop.* Londin. pag. 128 hic loco castorei et succini gummarum oponopacis, et sagapeni ana unc. unam substituitur.

(69) Vid. *Pharm.* Edimb. pag. 104 *Assa fœtida* ingreditur dosi drachm. duos in trochiscorum mirrha uncias duas ss.

(70) ℞. Galbani uncias duodecim, tacamac. ceræ flav. ana uncias sex, *assæ fœtidæ* uncias quatuor, fol. ruth. matricar. sem. cymini ana uncias duas, therebenth. unc. quinque m. f. s. a. emplastrum, Vid. op. cit. pag. 121.

solet in hystericis affectibus. Nimis longum foret, de cunctis pharmaceuticis hisce antiquariis commentari; persuasum enim habemus, simplicioribus præscriptionibus ad opus conficiendis melius esse uti, quam longa ista exesa ut plurimum, quæ nobis vetusta medicina reliquit, informia composita dare.

En quæ speciminis limites, necnon ingenii nostri tenuitas de *assa fœtida* eximio certe remedio, conscribere permiserunt. Voto meo respondero, si muneris mei fungendi caussa utilitatis aliquid heu nimium! miserabundis, ærumnisque pressis mortalibus, afferam.



THESES

EX CHEMIA.

I.

Ex chemicis tentaminibus compertum habuit Cl. Trommsdorff, *assam. fœtidam* majorem gummosi, minorem resinosi principii copiam continere.

II.

Seu aqua soluta, seu alkoolis ope, inde vero distillationi commissa *assa fœtida* fœtidissimum, ac odore penetrantissimum suppeditat liquorem.

EX ANATOME.

I.

Ganglion cervicale superius, in quod nervus maximus sympaticus intumescit, recipit ramos a primo, secundo, tertio pari nervorum cervicalium, filamentum a ramo communicationis inter primum, et secundum cervicalium, a quarto cervicis interdum, quandoque a pare nono, aliquando ab octavo surculos habet.

II.

A ganglio cervicali superiore prodeunt nervi molles Halleri, horum inferior pone carotidis divisionem exiguum plexum facit auctum a ramis octavi paris; ab hoc plexu rami ad cardiacum plexum accedunt; ex ganglio ipso cervicali superiori, nervi cardiaci ad cor contendunt, unus vel alter; nervi isti cardiaci ad cordis actionem conspirant.

EX PHYSIOLOGIA.

I.

Hallerus nervos solos esse sensibiles statuit, hinc partes illas insensibiles asseruit nimis severo judicio, in quibus nervos ipse non detexit.

II.

Morbus sensibilitatem exsuscitat, et etiam actuosissimam reddit in partibus, quæ in statu naturali nulla ejus signa ostendere videbantur.

EX HYGIENE, ET MEDICINA FORENSI.

I.

Assam fœtidam, quam ceu ferculum aut condimentum in deliciis habent gentes nonnullæ, huic usui imparem nostris in regionibus censemus.

II.

Epilepsia tum vere hominem afficit, tum arte potest simulari; caveto proinde, ne realem cum simulata confundas.

EX MATERIA MEDICA.

I.

Inter egregia antispasmodica remedia *assam fœtidam* referre non dubitamus.

II.

Ex clarissimorum virorum experimentis, et observationibus habemus evictum, inter actuosa anthelmintica ipsam quoque referendam.

EX INSTITUTIONIBUS THEORETICO-PRACTICIS.

I.

Quum a nervosa debilitate ut plurimum foveatur hypochondriasis, hinc non inepte nervinis sic dictis auxiliis ejusdem tentatur curatio, nec frustra usurpatur non raro ad ipsam curandam ipsamet *assa fœtida.*

II.

Quæ robustos, ac sanguineo temperamento præditos juvenes afficit epilepsia, ipsam hypersthenicam esse, probabile admodum; contra vero ad hypposthenicorum morborum provinciam ea videtur referenda, quæ debiles, summeque irritabiles homines, aut hystericas fœminas corripit, vel jam ad annos sæpe fuit recurrens, et extra paroxysmum organorum digestioni famulantium summam imbecillitatem, tum et functionum animalium spectabilem perturbationem post se relinquit; non immerito proinde a stimulantibus, et consequenter ab *assa fœtida* abstinendum in priori casu; larga manu e contra in altero eamdem propinandam censemus.

V. Buniva.
V. Bellardi.

Imprimatur:
PROSPER BALBUS
Academiæ Taurinensis Rector.

Il Regalo di
Maria Adelaide
Bosio

4 3 - 1990

